

frerius (1), *Natalis Alex.* (2), alii- que. Verum

DICES I. Homines non solent expectare usque ad centesimum annum solarem, ut incipiant generare: atqui si anni illi primorum hominum fuissent solares, patriarchae ante diluvium expectassent usque ad annum centesimum solarem et amplius, donec inciperent generare. Legimus enim (3): *Vixit autem Adam centum triginta annis: et genuit filium — Vixit quoque Seth centum quinque annis, et genuit Enos.* Et sic de reliquis. R. Cum *D. Augustino* (4), hanc difficultatem duplici solutione posse emolliari. *Aut enim*, ait s. Doctor, *tanto serior fuit proportione pubertas, quanto vitae totius maior annositas: aut, quod magis video credibile, non hic primogeniti filii commemorati sunt, sed quos successionis ordo poscebat ut perveniretur ad Noe, a quo rursus ad Abraham videmus esse perventum.* Igitur hos tantummodo genitos voluit Scriptura recensere, quia ex his *Noe*, et sic omnes deinceps post diluvium homines fuerunt propagati; ferme sicut in genealogia Salvatoris descripta apud s. *Matthaeum* (5) non perpetuo primogeniti, sed hi, per quos recta linea ab *Abrahamo Christus* ducebat originem, annotati sunt; idque clare constat in *Davide et Salomone*, qui indubie primogeniti non fuere.

DICES II. Saltem anni primorum patriarcharum non fuerunt solares, sed lunares, quia hebraei festa sua et neomenias celebrabant iuxta lunares variationes. Ita aliqui, qui quidem admittunt, annos primorum hominum non fuisse menstruos, sed nostris annis solaribus *prope ae-*

(1) Comment. in Genes. c. 5, v. 5.

(2) Tom. 5, sec. 2, diss. 11, art. 1, obiect. 5.

(3) Genes. c. 5, v. 5 et 6.

quales, nimirum fuisse *annos lunares*, quorum unus duodecim lunationes seu coniunctiones lunae cum sole, ac universim 354 dies neglectis scrupulis complectitur. R. Quamvis hebraei usi fuerint mensibus lunaribus ad celebranda sua festa (6); tamen annos suos lunares per embolismos seu intercalationem quandam redigebant ad annum solarem, ut suum annum cum plerisque aliis gentibus inchoarent, suumque computum, genealogias, ipsamque chronologiam ad morem aliarum gentium accommodarent: idque apud hebraeos usitatum fuisse a temporibus *Moyseis*, tradit *Aben Esra*. Consulatur etiam *D. Augustinus* (7).

COROLLARIUM. Ex dictis patet, quam crasse hallucinetur auctor impij libri, *Horus* dicti, dum annos vitae *Adami*, et caeterorum patriarcharum, quos *Moyseis* in 1. Genesis enumerat, fuisse tantum totidem *menses lunares*, neutiquam autem *annos solares* asserit, in praefatione detestandi operis sui ita pronuntians: *Was die vielen Jahre (patriarcharum ante diluvium viventium) betrifft: so siehet man offenbar, dass es nur Monden (seu menses lunares, quorum unus 29 dies cum aliquot horis et minutis, ut ibidem ipse Horus ait, complectitur), waren. Man darf nur allemal mit zwölfen dividiren, und man erhält niemahls mehr, als etwa siebenzig bis achtzig Sonnenjahre, oder das gewöhnliche Alter der Kandidaten des natürlichen Todes.* Ita *Horus*, contra quem sic argumentor: si anni vitae *Adami*, et caeterorum primorum hominum et patriarcharum ante diluvium degentium non

(4) Loc. cit. c. 15. (5) Cap. 1.

(6) Sic neomenia debebat celebrari in novilunio, et pascha decima mensis nisan.

(7) Loc. cit. c. 14 et 15.

nisi totidem menses *lunares* fuissent, sequeretur, quosdam illorum primorum hominum, dum aetatem duntaxat duorum vel trium annorum solarium implerant, *proles genuisse*, quod adserere, apertissima insania est. Veritas autem dictae sequelae patebit, si primorum illorum hominum aetatem in mensibus *lunaribus* computatam ad *annos solares* reduceris. Cum enim mensis *lunaris* qui ab uno novilunio ad alterum computatur, constet 29 diebus, 12 horis, et 44 minutis primis: annus vero solaris 365 diebus, 5 horis et 49 minutis primis: manifestum est, quod si per annos primorum hominum duntaxat menses lunares intelligantur, quosdam eorum e. g. *Salé, Phaleg, Sarug*, genuisse, dum erant infantes 2 annorum solarium et circiter 6 mensium. Nam genuerunt, cum essent 30 annorum (1), seu iuxta *Horum*, cum essent 30 mensium lunarium: sed 30 menses lunares conficiunt 2 annos solares cum dimidio: quippe 30 menses lunares = 1275720 = 2 annis solaribus et 6 circiter mensibus, *Nachor* autem, qui, cum esset (2) 29 annorum, genuit filium suum *Thare*, genuisset, dum erat infans 2 annorum solarium, et 4 circiter mensium. Nam 29 menses lunares = 1233196 = 2 annis solaribus et 4 circiter mensibus. Quanta autem insania est, adserere, infantem 2 aut 3 annorum solarium generare? Et tamen huiusmodi delirijs et stultijs repletus est impius et insanus liber *Horus* dictus, cuius auctor unus ex primipilis incredulorum est.

Caeterum iuvat hic in mentem

(1) Genes. c. 11, v. 14, 18 et 22.

(2) Ibid. v. 24.

(3) Lib. 1 antiquit. iudaic. c. 5.

(4) De hoc magno anno sexcentorum annorum solarium consule astronomiam *D. de La Lande*, tom. 1, pag. 612, editionis primae.

revocare illa quae *Iosephus Flaviius* (3) de longa patriarcharum ante diluvium existentium vita scribit his verbis: « Nec est cur aliquis praesentem vitam, annorumque eius paucitatem cum priscorum rebus conferendo fidem nobis abroget, aut quia nunc eam non peraeque prorogari videt, coniecturam hinc de eorum longaevitae faciat. Illi enim Deo cari cum essent, ipsiusque recens etiam tum opificium, et commodiore victu ad diurnitatem uterentur, merito per tam multos annos vivebant. — Praeterea tum propter studium *virtutis*, tum propter *utilitatem* inventarum artium, ut *astronomiae ac geometriae*, Deus illis prolixiorum largitus est vitam, quarum certitudinem assequi non poterant, si minus 600 annis vixissent, ex tot enim *magnus annus* (4) constat. Attestantur autem mihi omnes, qui graecas, barbaricasve antiquitates litteris prodiderunt. Namque et *Manetho* aegyptiacarum rerum scriptor, et *Berosus* chaldaicarum, adhaec *Mochus, Hestiaeus, Hieronymus aegyptius*, qui phoenicum res prosecuti sunt, nobiscum consonant. *Hesiodus* quoque cum *Hecataeo, Hellanicus*, et *Acusilaus, Ephorus*, et *Nicolaus* narrant, priscos ad mille annos vitam produxisse. » En! quot testes gravissimi (a *Iosepho Flavio* citati) contra *insanum* auctorem libri *Horus* dicti adserentem, *annos*, quos in *Genesi* legimus, esse tantum totidem *menses lunares!* plura adhuc de longaevitae primorum illorum patriarcharum invenies apud *Natalem Alexandr.* (5), *Pererium* (6), aliosque.

(5) Hist. ecclesiast. tom. 1 in primam mundi aetatem, dissert. 9.

(6) Commentar. in Genes. l. 7, disp. de longitudine vitae priscorum hominum ante diluvium.

## §. V.

*De rebus post diluuium gestis.*

28. QUÆRES XVII. *An credibilia sint omnia quae de rebus post diluuium gestis in libro Genesis narrantur?* Sic 1. An credibile est, quod Noe posteri voluerint aedificare *turrim, cuius culmen pertingat ad coelum*: Genes. 11 v. 4. Ad quod coelum, quaerit *Voltaireus*, lunae an veneris? 2. An Loth uxor Genes. 19, v. 26 vere in statuam salis conversa est, et quidem quoad corpus et animam? 3. Quomodo Iacob, *Rachele iam mortua*, ad filium suum Ioseph Genes. 37, v. 10 dicere potuit: *Num et ego et mater tua adorabimus te super terram?* 4. Quomodo verum esse potuit illud Iosephi de pistorum Pharaonis praefecto vaticinium Genes. 40, v. 19: *Pharao auferet caput tuum, ac suspendet te in cruce?* An malefactores amputato capite suspenduntur?

¶. *Ad primum*, ineptum esse illum *Voltairei* sarcasum. Licuit enim *Ciceroni* dicere (1): *Ad coelum extruxit villam*. Num mirandum, superbos Noachi posteros dixisse: *Faciamus turrim ad coelum pertinentem?* Est nimirum hyperbolica haec locutio, quasi dicerent: *faciamus ingentis altitudinis et magnificentiae turrim* (2).

*Ad 2.* ¶. Nemo hic suspicetur totius substantiae factam conversionem, quasi etiam anima in salem conversa sit. Id enim neque necesse est hic adserere: neque (ut *Bonfrerius* recte ait) ullo modo verisimile, esse factum, cum anima suaapte natura sit immortalis, corpus tamen uxoris Loth vere conversum est in statuam salis. Nam quamvis

(1) Orat. pro domo sua.  
(2) Mira et varia de hac turri recensent *Calmet*, aliique interpretes.  
(3) L. 1 antiq. c. 11.

non defuerint, qui verba illa Scripturae: *versa est in statuam salis*, figurate duntaxat sumserint, pro monumento scilicet perpetuo mansuro, sicut in Scriptura pactum inviolabile *pactum salis* nominatur, vel quod tantum igne coelesti adusta, et piceo fumo velut incrustata instar statuæ lapideae exanimis iacuerit, tamen communis interpretum verba Scripturae hic stricte sumenda, et foeminam illam vere in statuam salis conversam fuisse adserit, cum nulla sit necessitas, s. Scripturam hoc loco improprie sumendi. Imo *Iosephus Iud.* (3) dicit, hanc salis statuam adhuc suo tempore extitisse: et *Bochartus* (4) scribit, eam adhuc extare inter montem Engaddi, et mare mortuum. Ibidem etiam eam *Adrichomius* in sua descriptione terrae sanctae constituit. Eandem adhuc superesse pariter affirmant *R. Eliezer*, *R. Beniamin* etc. Si autem aliquis sciolus ironice quaerat, quomodo salis statua tandiu inter tot pluvias et tempestates perdurare potuerit? ¶. Eam in lapidis morem fuisse duratam, ut nullae pluviae, nullae tempestates eam liquefacere aut disturbare potuerint. De huiusmodi sale lapideo meminere *Plinius* (5), *Isidorus* (6), *Aulus Gellius* (7), *Solinus* (8) *Olaus Magnus* (9). Imo *Plinius* refert, apud *Uticam* acervos esse salis ad collium speciem, qui ubi sole lunave induruere, nullo humore liquecant, vixque etiam ferro caedi possint. Praeterea ex chemia constat de sale tartari vitriolato, id non dissolvi, nisi aqua valde calida.

*Ad 3.* ¶. Nomine *matris Iosephi* hic non intelligi *Rachelem*, neque *Liam*, sed *Balam Rachelis ancillam*

(4) P. 1, c. 7.  
(5) L. 31, c. 7. (6) L. 16, c. 2.  
(7) Noct. Attic. 1. 2, c. 22.  
(8) Cap. 50. (9) Lib. 13, c. 5.

et Iosephi nutricem, quae iam mortua *Rachele* in matris locum successerat. Accedit, quod apud hebraeos nutrices vocatae sint *matres*, prout notat *R. Manasses Ben-Israel* (1). Ita obiecta s. Scripturae verba *Liranus*, *Tostatus*, *Bonfrerius* explicant.

*Ad 4.* duplex est interpretum responsio, quarum quaelibet nodum solvit. Prima est *Bonfrerii* et aliorum dicentium, *Iosephum* per hebraismum, quo *caput* pro *homine* sumitur, pistori mortem imminentem praedicere, quasi diceret: *Pharao auferet te de numero viventium*. Tum mortis genus significat, scilicet suspensum iri in patibulo. Altera est responsio *Calmeti*, qui e rudite ostendit, sontibus caput plerumque obruncatum fuisse, antequam eorum cadavera suspenderentur (2). Sic *Ieremias* (3) narrat, principes indaeorum, qui in captivitatem chaldaeis abducti fuerant, *manu suspensos fuisse*, quia iam fuerat illis antea caput amputatum. Item philisthaei cum Saulis cadaver invenissent, praeciso capite truncum corpus suspenderunt in muro *Bethsan* (4).

## CAPUT II.

*De libro Exodi.*

Liber hic hebraice שמות ואלה *Veelle scemoth*, id est, *haec sunt nomina* nuncupatus, a graecis *Ἐξοδος* dicitur, quem titulum latini retinuerunt, et significat *Exitum* filiorum scilicet *Israël* de Aegypto, ut in terram Chanaan proficiscerentur. Scri-

(1) L. 1 de Resurrectione c. 1.  
(2) Vide *Philonem*, lib. de *Ioseph*.  
(3) Thren. c. 5, v. 12.  
(4) I. Reg. c. 51, v. 10.  
(5) L. 2 Antiq. c. 5.  
(6) In quaest. orthodox. respons. ad quaest. 26, item in dialog. cum *Tryphone*.  
(7) In c. 5 epist. 2 ad *Timoth.*

ptus est hic liber a *Moyse* in deserto, ut praefat. in l. Genes. diximus, et capitibus quadraginta narrat hebraeorum ab aegyptiis oppressionem, duramque servitutem, *Moysis* nativitatem, gesta et decem plagas Aegypti, exitum hebraeorum ex Aegypto, et transitum per mare rubrum, continuationem itineris per desertum, legem datam in monte Sinai, denique fabricam tabernaculi, et variam eius suppellectilem. Itaque iste liber gesta annorum 145 complectitur, puta a morte patriarchae *Ioseph* usque ad alterum annum ab egressu hebraeorum ex Aegypto.

§. I. *De prodigiis Moysis, et magorum Aegypti coram rege Pharaone.*

29. QUÆRES XVIII. *An virgae horum magorum Exod. 7 v. 11 et 12 in veros serpentes versae sint?* ¶. Triplex est auctorum hac in re sententia. Prima adserit, serpentes magorum aegyptiacorum coram Pharaone exhibitos, tantum fuisse phantasticos, et non veros ac reales. Ita sentiunt *Iosephus iud.* (5), *Austinus M.* (6), vel quicumque est auctor responsionum ad orthodoxos etc., *Ambrosius* (7), *Hieronymus* (8), *Gregorius Nyssen.* (9), *Rupertus* (10), et *Sedulius* (11). Secunda sententia docet, eos fuisse veros serpentes ope daemonum productos, aut aliunde allatos. Ita censet *Theodoretus* (12), *Augustinus* (13), et doctor angelicus (14). Nec tamen ex hac doctrina sequitur, a daemonibus posse patrari vera miracula, sed

(8) Quaest. 11 ad *Algasiam*.  
(9) Lib. de vita *Moysis*.  
(10) L. 1 in *Exodum*, c. 50.  
(11) L. 4 carminum.  
(12) In *Exod.* quaest. 18.  
(13) L. 5. de *Trinit.* c. 7, 8 et 9. item l. 85 quaestionum, q. 76.  
(14) P. 1, q. 114, a. 4.

tantum serpentes ab illis celerrime allatos, aut applicando activa passivis productos fuisse, prout s. Augustinus (1) explicat. Tertia sententia est Scipionis Maffei (2), Constantini Grimaldi (3), Dom. Ferdinand. Sterzinger (4) et quorundam aliorum, qui putant magos illos, cum a Pharaone vocarentur, potuisse serpentes infra suas vestes abscondere, et dein mira celeritate velut in momento virgarum loco proicere. Verum haec opinio ab illis merito improbat, quia neque in ss. patribus, neque in s. Scriptura fundamentum habet, sed huic et illis potius contraria est. Nam quando patres opera illorum magorum fallacias, mendacia, aut illusionem oculorum vocant, non intelligunt dexteritatem pure artificialem (*eine pure Tuschenspielererey*), sed praestigias diabolicas et opera phantastica daemonum (5). Atque hoc denotare videtur textus hebraeus Exod. 7, v. 11: *Vocavit autem Pharaon sapientes et maleficos*, ubi in textu hebraeo loco *maleficos* ponitur vox hebraea מכשפים *mechasscephim*, quae malas artes sonat, et ut hebraei volunt, proprie significat praestigiatores et inanibus formis hominum sensibus illudentes (6) in textu graeco vero ponitur vox φάρμακος, quae pariter *veneficum*, seu magum habentem commercium cum daemone significat. Similiter in ver-

(1) L. 5 de Trinit. c. 9.

(2) Lib. 5 arte magic. an nihil, c. 2.

(3) Dissert. sopra le tre magie, § 20.

(4) Dissert. de Magia deceptrice, § 56.

(5) Sic s. Iustinus M. respons. ad cit. quaest. 26, ait: *Quae ab incantatoribus (aegyptiacis) facta sunt, opera daemonum facta sunt, qui spectantium oculis eas praestigias offuderunt, ut qui serpens non esset, eum viderent quasi serpentem. Et s. Hieronymus loc. cit. comparat praestigias illorum magorum aegyptiacorum cum praestigis Antichristi, quae haud dubie diabolicae erunt, dum ait: Quomodo enim*

bis immediate sequentibus de magis magiam diabolicam exercentibus sermo est. Nam in textu hebraeo dicitur: « Et fecerunt etiam ipsi מכשפים *mechasscephim* malefici aegyptii per חרטומים *chartummim* incantationes eodem modo. » in textu autem graeco: Et fecerunt ἐπισοδοὶ *incantatores* aegyptiorum φάρμακους *incantationibus* suis similiter. Denique in vulgata latina dicitur: « Et fecerunt etiam ipsi per *incantationes* aegyptiacas et *arcana* quaedam similiter. » Ubi per *incantationes* et *arcana* videntur verba magica quae fere a magis usurpari solent, intelligi: uti et in textu hebraeo et graeco imo et in textu chaldaeo, qui voce hic utitur, quae *musitationem, susurrationem, sonat*, ut Bonfrerius (7) observat. Certe voces *venefici, malefici, incantatio, incantatores* non meram artificialem dexteritatem (*eine blosse Tuschenspielererey*) denotant.

30. QUÆRES XIX. *An non sit contradictio inter Exod. 7, v. 20 et 21 ubi dicitur, quod aqua versa sit in sanguinem, et in tota terra Aegypti fuerit sanguis, et inter v. 22, ubi dicitur, quod magi aegyptiaci fecerint similiter? Quomodo enim hi fecerunt similiter, cum non amplius fuerit in Aegypto aqua, quam mutarent in sanguinem? R.* Hanc quaestionem iam proposuit s. Iustinus M. (8) vel quicunque

signis Dei, quae (Deus) operabatur per Moysen, magi suis restiterunt mendaciis, et virga Moysis devoravit virgas eorum; ita mendacium Antichristi, Christi veritas devorabit. Et Rupertus Tuitiensis loc. cit. ait: *Virgae (aegyptiorum) erant quod fuerant, sed per incantationes aegyptias et arcana quaedam fascinaverant magi oculos hominum, ut virgae viderentur eis speciem habere draconum.*

(6) Vide Bonfrerium, in c. 7. Exodi, v. 11.

(7) Ibid.

(8) Respons. ad quaest. 26.

est auctor responsion. ad orthodoxos, et eandem solvit his verbis: *Omnibus aquis quae super terram erant, in sanguinem conversis, cogebantur aegyptii circa flumen fodere puteos* (vide Exod. 7, v. 24) *et hausta inde aqua seipsos suaque animalia et pecora sustentare. Ex hac aqua ex puteis hausta fecerunt incantatores (aegyptii) sanguinem, nec ullo pacto falsus est sermo.* Alias responsiones dant alii. *Tostatus* et *Liranus* putant aquam pro maleficis aegyptiacis celerrime aliunde fuisse allatam in Aegyptum, nimirum vel ex vicino mari (nam solus Nilus cum aliis fluviis videtur in sanguinem versus fuisse per septem dies v. 4), vel quod verisimilius est, ex terra *Gessen*, seu ex sedibus hebraeorum, ubi aquae in sanguinem conversae non fuerant, uti notat liber sapientiae (1). Denique s. Augustinus (2) et Bonfrerius (3) autumant, magos praestigiis suis effecisse, ut, qui revera erat sanguis, aqua appareret, dein praestigiis iterum solutis esset et appareret sanguis.

31. QUÆRES XX. *An non sit contradictio Exod. 9, v. 6, ubi affirmatur, quod mortua sint omnia animalia aegyptiorum, et v. 9 ubi animalia ulceribus inficienda praedicuntur: ERUNT IN HOMINIBUS ET IUMENTIS ULCERA. Si iam ante mortua fuerunt omnia animalia, undenam fuere illa iumenta, in quae sequens plaga ulcerum desaevit? R.* Cum *Calmeto* textum illum mortuaque sunt omnia animalia intelligendum esse de iis omnibus, quae in agris deprehensa sunt, neque in stabula reverti potuerunt, non vero de illis animalibus, quae in uribus vel domibus: prout colligitur ex

(1) Cap. 11, v. 5.

(2) Q. 25 et 26 in Exod.

(3) Comment. in Exod. c. 7, v. 22.

versu 3. praecedente, ubi haec plaga praedicuntur his verbis: *Ecce manus mea erit super agros tuos: et super equos, et asinos, et camelos, et boves, et oves, pestis valde gravis.* Idem etiam colligitur ex versu 19 et 25 ubi illa solum animalia grandine percutienda, et percussa narrantur, quae fuerunt in agris. Alia responsio ad eandem obiectionem dari potest, dicendo, hebraicum כּוּל *kol*, omne, non semper in Scriptura denotare omnia et singula individua, sed interdum solummodo multa, paucis exceptis, interdum multa ex omni genere et specie, quod etiam hic locum habere potest; fere sicut de Christo (4) dicitur: *sanans omnem languorem*, hoc est omnis generis infirmitates, vel sicut de linteo, quod s. Petrus vidit, scriptum est (5): *in quo erant omnia quadrupedia terrae*, h. e. omnis generis quadrupedia.

Ex his etiam colliges, incredulos cum impio *Zapata* (de quo sequenti numero 32 sermo redibit) peperam quaerere: unde Pharaoni post mortua omnia animalia tam numerosos equitatus, quo fugitivos hebraeos persecutus est, residuus fuerit?

## §. II. De exitu Israël ex Aegypto et transitu maris rubri.

32. QUÆRES XXI. *An Moyses fuerit dux hebraeorum arrogans et truculentus? R.* Increduli, qui *Moyesen* tanquam ducem populi fugitivi ambiciosum et barbarum describere solent, denuo crassam suam ignorantiam aut impudentem criminandi libidinem manifeste produunt. Edicant enim nobis si possunt, quibus in rebus aut factis *Moyes* se

(4) Matth. c. 4, v. 23.

(5) Actor. c. 10, v. 12.

ambitiosum aut truculentum exhibuerit? Nullibi in sacris literis vestigium extat, quod vel sibi, vel liberis suis dominatum ampliari studuerit: ipsemet iuxta iussum divinum inauguravit successorem suum et populi ducem Iosue filium Nun, qui neque ex eadem cum Moyse tribu, neque ex eadem erat familia; *Moses enim erat ex tribu Levi, Iosue ex tribu Ephraim* (1). Praeterea *Moses ipsemet fatetur* (2), se non transitorium Iordanem in terram promissam. Ubi ergo vestigia ambitionis mosaicae (3)? Neque crudelitatis a *Moyse exercitae exemplum increduli afferre possunt. Quod enim aliquem aegyptium, qui hebraeum percutiebat, occiderit, iuste id fecit, vel omnino ex inspiratione divina, aut si hoc facto erravit, fuit id non tam effectus truculentiae, quam zeli nimii et adhuc inculti* (4). Quod autem chananaeorum excidium praedixerit, et horum detestationem israelitis instillarit, fecit id iussu Dei, et propter chananaeorum scelera: *propter istiusmodi scelera delebit eos (Deus) in introitu tuo, ait Moses ad populum Israel* (5). Ceterum humilitas et mansuetudo *Mosis vel inde patet, quod saepe murmure populi, calumniis, probris, etc. impetitus, immota blandaque facie perstitit, ultus se non minis, sed precibus ad Deum pro populo fuis; merito proinde Deus eum hoc celebrat elogio* (6): *Erat enim Moses vir mitissimus super omnes ho-*

(1) Deut. c. 31, v. 7. Exod. c. 2, v. 1, et seq. n. 15, v. 9, 17; et c. 27, v. 18.

(2) Deut. c. 31, v. 5.

(3) Vide supra num. 9 ad secundum.

(4) Vide *Cornelium a Lap.* in Exod. c. 2, v. 12.

(5) Deut. c. 18, v. 12.

(6) Num. 12, v. 3.

(7) *Zapatae* nomine seipsum designat petulans ille scribillator opuseculi *Les que-*

*mines.* Vide etiam infra de *Moyse* mansuetudine numer. 43 Arguementi I. solutionem.

33. QUÆRES XXII. *Quare Moses cum sexcentis millibus bellatorum, qui armati exierant de Aegypto* (Exod. 12, v. 37 et c. 13, v. 18), *fugit coram Pharaone, et non potius expugnavit totam Aegyptum, recente primogenitorum morte consternatam?* Ad hanc larvati *Zapatae* (7) quaestionem R. rationem esse, quia israelitae, licet armati, non tamen erant armis assueti, nec bello, sed oneribus et iugo. Praeterea Deus *Moyse* non mandavit pugnare adversus Pharaonem, sed populum ex Aegypto educere (8).

34. QUÆRES XXIII. *An in transitu hebraeorum per mare rubrum miraculum intervenerit?* R. affirmative contra deistas, aliosque incredulos aetatis nostrae, qui, sicut alia prodigia pro veritate religionis revelatae edita, ita etiam istud exinanire omni modo laborant. Nam prodigium naturae vires superans fuit, mari ad virgam sublatam illico diviso, aquas ex utraque parte (ut Scriptura narrat) ad dexteram et sinistram murorum instar constitisse immobiles, et quidem sic bifariam diviso mari factam esse in medio maris viam tam amplam, ut universus hebraeorum populus transire posset incolumis. Hinc s. Scriptura in pluribus locis (9) huius rei tanquam ingentis prodigii meminit, ut videas, quod Deus iterando testimonia sua de hoc miraculo

*stions de Zapata*, cui et alia plura similia anonyma adscribuntur. Plures huius nugivenduli quaestiones contra s. Scripturam discutit et solvit cl. *Stattlerus* demonstr. evang. § 268, n. 5, et §§ 275 et 315.

(8) Exod. c. 5, v. 10.

(9) Iudith, c. 3, v. 12. Psal. 77, v. 15. Sapientiae c. 10, v. 17 et 18; item c. 49, v. 7. Habacuc c. 5, v. 13.

velut munire id voluerit, cum probe sciret, successu temporis illud a temerariis hominibus quam maxime impetendum. Tota quoque hebraeorum natio, quae transitum illum maris rubri fecit, eum semper pro ingenti prodigio habuit: et filii ac posteris suis tanquam stupendum miraculum in gratiam ipsorum a Deo factum enarravit. Porro hac de re prae aliis legi merentur epistola *Claudii Sicard* superioris missionum Cairi in Aegypto, quam dedit anno 1722, cum regiis sumptibus iter israelitarum ad usque montem Sinai per se ipse dimensus esset (1): item *Cl. Shaw* (2), qui ambo accurate omnia illa loca lustrarunt, ipsumque transitum locum (quem arabes hodieum vocant *Tiah beni Israel*, vadum filiorum Israel, vel *Bedeah* ob stupendum illius loci miraculum) recognoverunt, et plane transitum illum non sine grandi miraculo fieri potuisse agnovere. Sed audiamus argumenta adversariorum.

ARGUMENTUM I. Ipse *Iosephus* (3) incertum dicit, an via israelitis patuerit per mare rubrum voluntate Dei, vel naturae sponte, et hunc israelitarum transitum comparat cum transitu *Alexandri M.* per mare Pamphyliae, qui haud dubie sine miraculo contigit: ergo. R. Dum *Iosephus* dicit: *via per mare patuit, sive Dei voluntate, sive naturae sponte, sese accommodat gentilibus, seu ethnicis, quibus ista scribebat, ut quacumque demum ratione hoc ipsis*

(1) Vide *Ioseph. Stöcklin*, Welt-Bott, tom. 15, epist. 2, Sicard.

(2) *Voyages en divers lieux de la Barbarie et du Levant*, tom. 2, pag. 51.

(3) Lib. 2 Antiq. c. ult., ubi ait: *Nemo autem mirari debet tanquam incredibilia, si (israelitis) de salute periclitantibus via per mare patuit, sive Dei voluntate, sive naturae sponte; quandoquidem — Alexandri ductu macedonibus Pamphylum mare*

portentum credibile redderet. Interim tamen non absolute adserit, id naturaliter factum esse, sed solum disiunctive: *sive Dei voluntate et per miraculum, sive naturae sponte, subdens: sed de his, ut cuique libet, ita sentiat.* Quid vero ipse senserit, satis prodit tum cit. cap. 7, tum cap. 6 praecedente. Nam *Moyse* inducit ad hebraeos dicentem, transitum per mare rubrum esse *viam divinitus datam*, item fatetur, hebraeis tunc nullum fuisse effugium, nullam fugae spem, si humana spectemus. Ceterum etiamsi *Iosephus* transitum israelitarum per mare rubrum mere naturalem credidisset et adseruisset, maioris longe prae illo auctoritatis est *Moyse* et tota natio iudaeorum constanter id habens pro ingenti prodigio. Accedit, quod *Iosephus* in sua historia etiam alias saepe hallucinetur, ut ostendunt critici (4).

Porro, dum transitum israelitarum per mare comparat cum transitu *Alexandri M.* per mare Pamphyliae, id denuo solum adducit tanquam argumentum ad hominem, ut nimirum ethnicis possibilitatem transitus maris rubri ostenderet ex alio eventu, quem ipsi historici gentiles referebant. Reipsa autem nulla est paritas inter transitum israelitarum, et *Alexandri M.* per mare. Nam imprimis israelitae semper erant persuasi, transitum suum non nisi divinitus potuisse fieri: at vero *Alexander M.* teste *Plutarcho* (5) nullum miraculum suspicat

*cessit et aliam viam non habentibus illae iter aperuit, cum Deus eius opera ad destruendum Persarum imperium uti decrevisset.*

(4) *Natalis Alex.* tom. 1 Histor. eccles. in 4 mundi actatem, c. 5.

(5) In vita *Alexandri M.*, ubi ita scribit: *Excursio vero Pamphyliae ingentem plurimis historicis scribendi materiam — exhibuit, quod divina quadam sorte mare*

tus est in transitu maris Pamphyliae. Strabo quoque (1) hunc transitum describit sine ulla vel levissima miraculi suspicione his verbis: *Est mons nomine Climax, pamphylico mari adiacens: is transitum perangustum in littore relinquit; qui mari tranquillo aquis ita nudatur, ut iter facientibus sit pervius: pelago autem affluente totus contegitur. Transitus porro per montem, tum arduus est, tum etiam prolixus: quare tranquillo mari via quae in littore est, capitur ab omnibus. Alexander vero in hyemem incedens et maximam partem rerum suarum fortunae permittens, priusquam fluctus redirent, movit: sed oppressus a fluctibus contigit, ut tota die iter faceret in aqua, umbilico tenus.* Haec Strabo.

ARGUM. II. Historici profani antiqui nec verbulo mentionem faciunt de eventu tam mirabili (scilicet de transitu israelitarum per mare rubrum), quem sane, cum grandius nil occurrat in historia, omittere nullus poterat, si quid veri subfuisset. R. Falsissimum est, veteres scriptores profanos de hoc eventu tacuisse. Artapanus enim pervetus scriptor ethnicus in opere de iudeis ait, memoriam transitus israelitarum per mare rubrum apud ipsos quoque aegyptios conservari, quamvis ii de ratione et modo huius transitus in duas abierint diversas sententias. Memphitas enim dicere, cum magnam locorum Moyses haberet peritiam, refluxum ma-

ipsum — cesserit Alexandro. — Alexander autem in epistolis suis nihil tale monstri simile perscribens, iter narrat se fecisse per Climacum appellatam (id est, per montem, qui *λίμνη* seu scala appellatur) atque ex Phaselide progressum, eam peragrassse.

(1) Lib. 14 Geographiae.

(2) L. 9 Praep. ev. c. ult. prope medium.

ris observasse, ac ita cum populo transivisse. Heliopolitas autem propter gazam, quam iudaei mutuo abstulerunt, regem commotum magna manu in iudaeos profectum fuisse. Moysen vero percussisse baculo mare, ut coelesti voce admonitus fuit, et sic diviso mari transivisse. Haec sunt Artapani verba, prout ea refert Eusebius (2). Similiter Diodorus Siculus pariter scriptor antiquus (3) ita scribit: *Traditum est a maioribus fama, iis, qui prope ichthyophagos habitant, magno quodam eius sinus fluxu mari ad oppositum litus secedente, omnibusque locis eius sinus arefactis, terram funditus colore viridi apparuisse: ex immenso rursus maris refluxu aquam in priorem locum restitutam.* Quae verba, ut Calmetus (4) recte observat, aliud, quam in hebraeorum transitu prodigium, spectare vix credimus, cum ordinarius refluxus maris nudet solum aquis littora, vel littoribus propinqua loca: medium vero mare nudare aquis, et fundum ipsum detegere nec refluxus, nec ulla potest causa naturalis. Igitur huius miraculi (transitus hebraeorum per mare rubrum) memoria et fama cum ingenti admiratione et terrore diu viguit apud omnes vicinos populos, ut etiam patet ex verbis Rahab meretricis ad exploratores a Iosue missos (5): item ex verbis Achioris ducis ammonitarum ad Holofernem, quem monuit, ne temere contra israelitas a Deo tam mirabiliter conservatos pugnaret (6).

(3) Lib. 3 suae Biblioth. c. 3 ultra medium.

(4) In dissertat. de transfretatione maris Erythraei per hebraeos.

(5) Iosue c. 2, v. 10, ubi Rahab ad exploratores ait: *Audivimus, quod sicca-verit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Aegypto.*

(6) Iudith, c. 5, v. 12, et seqq., ubi

ARGUM. III. Observatus antea a Moysae aestus maris expedita et obvia est ratio hunc eventum sine miraculo explicandi: prout iam observarunt memphitae aegyptii in cit. loc. Artapani. R. Quamvis memphitae transitum hebraeorum per mare sic explicare conati sint, aliter tamen sensere sacerdotes Heliopolis, qui traditionem de hoc prodigio eo prorsus modo, quo a Moysae in sacris literis narratur, conservarunt (1). Quod autem non omnes aegyptii (nominatim memphitae) transitum maris rubri et suffocationem Pharaonis cum toto suo comitatu ingens prodigium fuisse, fassi sint, mirandum haud est. Scimus enim quantopere quaevis natio quae in suum dedecus et infamiam cedunt, occultare aut imminuere soleat. Ceterum explicationem memphitarum (et incredulorum hos sequentium), non sufficere, dum dicunt, Moysen observasse refluxum maris rubri, eiusque tempus et durationem, sicque populum hebraeum per eum locum aquis nudatum traduxisse, patet ex multiplici ratione. Nam 1. Inter tot millia aegyptiorum haud dubie plures norunt naturam aestus marini, qui inde a condito orbe constanter quovis die acciderat. Quod si autem norunt, cur hebraeis dederunt spatium utendi hoc aestu? cur ipsi aegyptii cum se immisissent in alveum maris, incipiente refluxu aquarum ad littus non recurrerunt; quod facile erant assecuturi, si initium refluxus in tempore attendissent? sex enim horis mare aestuans

Achior ad Holofernem ait: *Fugientibus (israelitis) Deus coeli mare aperuit, ita ut hinc et inde aquae quasi murus solidarentur, et isti pede sicco fundum maris perambulando transirent. In quo loco dum innumerabilis exercitus aegyptiorum, etc.*

(1) Vide respons. ad praecedens argum. II.

paulatim a littore recedit ad certum spatium; et postquam quadrante uno substitit, rursum aliis sex horis paulatim ad littus se iterum adiungit. 2. Falsum est, quod Moyses studiose praestituerit hebraeos tempore aestus per mare traducere. Nam omnia adiuncta evincunt illum non animo praemeditato, verum necessitate et Dei imperio id fecisse, cum non alius pateret effugio locus; prout Calmetus (2) invicte demonstrat. 3. Aestus non denudat totum fretum, sed aquas duntaxat ad certum spatium a littore reducit: et quod ad Erythraei maris aestum spectat, qui rem sedulo examinarunt, viri eruditi testantur (3), eius aquas cum maximus est aestus, 250 vel 300 circiter passibus a littore recedere, ita ut imus quidem fundus per aquas tralucens appareat. Ceterum medius alvei sinus, aquis vel maxime a littore recedentibus, arescit nunquam, ut Iulius Scaliger (4) observat. Ex quo, inquit idem Scaliger, vir plane neque facilis, neque credulus, colligimus, hostes s. Scripturae per summam prorsus impudentiam adseverasse, captam a Moysae aestus occasionem fuisse in transitu eiusdem maris.

Sed INSTANT. Prope portum Suez mare rubrum in fretum adeo angustum cogitur, ut illius latitudo, teste Bellonio (5) ibi non sit maior, quam latitudo Sequanae inter Harfleur et Honfleur fluentis: ergo hebraei facile ibi traiecerunt; praesertim quia tunc erat aequinoctium, ubi aestus solet esse maximus, et aquae plurimum recedunt a littore. R. Etsi

(2) In dissert. cit.

(3) Bernier, Lettre à M. de Chaumont évêque d'Acqs, et Moriz, Voyage du mont Sinai, l. 1, c. 4.

(4) Apud Drus. in Exod. c. 15, v. 4.

(5) Observ. l. 2, 58.

hebraei ibi transitum tentasse ponantur (quod nemo potest ostendere); tamen neque spatium se extendendi, neque tempus elabendi habuissent in loco tam angusto. Assignemus enim cum *Calmeto* (1) pro freti huius latitudine, ubi minima est, 300 tantummodo passus (2): neque tamen brevem hunc tractum transvadare hebraeos potuisse credimus exiguo eo temporis spatio, quod inter fluentes refluentesque undas intercedit. Adnumeratis quippe foeminis, parvulis etc., erant ad minimum duo milliones, ut *Calmetus* (3) observat: imo iuxta *Cornelium a Lap.* (4) facile tres milliones hominum praeter currus et iumenta etc. Cogita iam tecum animo in valle illa aquis nudata, consistere duos vel tres milliones hominum cum tot impedimentis; et quidem de nocte inter summum pavorem, tumultum, festinationem, quod fit semper in casibus magnis minimeque expectatis: atque, quod est caput rei, cum inter recessum et accessum maris intercederet unicus quadrans, qui pervium illis vadum praeberet. Cogita, inquam, haec omnia, et conclude, num verisimile sit, totum populum hebraeorum occasione aestus marini per angustum illud fretum aquis nudatum transiisse. Plura hac de re apud *Calmetum* (5) invenies.

ARGUM. IV. Potest cum *Spinoza* et quibusdam aliis dici, tota illa nocte, qua israelitae mare transierunt, flavisse vehementem ventum, qui aquas a fundo removerit, et hunc exsiccatum transitoris aperuerit: hoc autem naturaliter sine miraculo potuit fieri.

(1) In dissert. citata.

(2) Certe minor latitudo statui nequit, ut ex cit. dissert. *Calmeti* perspicias.

(3) In cit. dissert.

(4) Commentar. in Exod. c. 14, v. 21.

¶. Haec *Spinozae* explicatio risu potius aut commiseratione, quam refutatione digna est. Quis enim sanae mentis homo credat, ventum vi sua *naturali* posse dividere mare, et immensam aquarum molem murorum instar ex utraque parte erectam per aliquot horas immobilem tenere? Nunquid ventus adeo vehemens israelitae vadum ingressos haud oppressisset, suffocasset, aut certe a transitu plurimum impedivisset, cum esset *orientalis* ventus, quemadmodum in textu hebraeo et chaldaeo appellatur, adeoque israelitis itinerantibus contrarius? Iter enim tunc faciebant contra orientem, et contra mare rubrum, quod respectu Aegypti ad orientem situm est. Igitur *Moyse* extendente virgam super mare, mox non ventus, sed Deus vel angelus iussu Dei divisit mare; ventus vero a Deo immissus est tantum ad hoc, ut alveum aquis vacuatum exsiccaret et solidaret, auferendo quicquid in eo reliquum erat humidi et lutulenti (6).

COROLLARIUM. Neque satisfacit opinio *Io. Clerici* (7), qui transitum israelitarum per mare rubrum explicat partim per aestum maris a *Moyse* observatum, partim per ventum prodigiosum quo Deus hunc aestum seu recessum aquarum a littore subito auxerit, aquasque in altum murorum instar sublatas continuerit, donec populus israeliticus per exsiccatum alveum transierit. Nam ventus tam vehemens potius impedivisset (ut modo ostendimus), quam facilitasset transitum hebraeorum. Dein si prodigium seu miraculum admittitur in vento illo, melius illud adstruitur in ipsa exalta-

(5) In cit. dissert.

(6) Vide *Cornelium a Lap.* loc. cit.

(7) In dissert. de traiectione maris idumaei.

tione aquarum immediate a Deo, vel angelo facta, vento duntaxat ad exsiccationem fundi maris concurrente, ut ex dictis patet.

ARGUM. V. Etiam catholici scriptores putant, hebraeos non in littus oppositum, sed descripto velut semicirculo, ad eiusdem littoris superiora evasisse: sed hoc tempore aestus marini, quando aquae ab illo littore recesserunt, potuit fieri sine miraculo. ¶. Dist. mai. Id putant aliqui scriptores catholici, sed longe plures et communis sententia id ipsum negat, et illi respective pauci nihilominus fatentur in describendo memorato semicirculo intervenisse miraculum, conc.; secus nego. Equidem *Tostatus*, *Paulus Burgensis*, *Didacus a s. Antonio*, alique, quibuscum hac in re etiam sentit *s. Thomas* (1), putant, hebraeos non totam maris rubri latitudinem transmeasse, ita ut ex uno littore ad alterum usque littus oppositum evaserint, sed potius parte aliqua alvei traiecta, reflexo postea itinere ad evitandos invios scopulos solitudinis *Etham*, iterum reversos fuisse ad eiusdem littoris, per quod ingressi erant, oram aliquam, ita ut hoc suo itinere in alveo quemdam semicirculum descripserint, cuius unum crus erat in una, alterum crus in alia eiusdem littoris parte. Miraculum tamen in hoc hebraeorum itineris semicirculo describendo intervenisse dicti au-

(1) Commentar. in I. Cor. c. 10.

(2) Naturaliter enim fieri non potuit, ut duo vel tres milliones hominum uno horae quadrante, qui inter recessum et accessum maris intercedebat, semicirculum illum in fundo maris aquis nudato descripserint. Vide responsiones nostras ad praecedens argum. III et IV.

(3) Lib. 2 Antiq. c. 7.

(4) Lib. 5 de vita *Moysis*.

(5) In lib. de vita *Moysis*.

(6) *Claudius Sicard* in sua epistola supra ad initium, n. 55, citata contendit,

ctores non negant, nec negare possunt (2); sed solum a communi sententia, quae israelitas per totam maris latitudinem usque ad oppositum littus evasisse docet, recedunt ob apparentes quasdam difficultates evitandas, quas tamen *Caietanus*, *Pererius*, *Calmetus* commode solvunt. Quare cum his communis sententia omnino tenenda videtur. Nam ex una parte vetustissimi hebraeorum *Iosephus* (3) et *Philo* (4); item *Gregorius Nysseus*. (5) omnesque veteres ecclesiae patres semper erant in ea opinione, quod hebraei per medium fretum in oppositum littus evaserint: ex altera parte adversa *Tostati* et aliorum sententia nullo nititur satis solido fundamento, ut supra laudati auctores ostendunt, ac praeterea falso niti supposito videntur, putantes vocem *Etham* significare locum particularem, cum sit nomen genericum, universe *desertam regionem* denotans (6).

At OPPONES: hebraei vix quatuor vel summum quinque horis intra alveum maris morati sunt: nam ultra mediam noctem flavit ventus urens et desiccans fundum maris, postea ingressi sunt hunc fundum hebraei: egressis autem ipsis ex mari, suffocati in aquis sunt aegyptii ante finem vigiliae matutinae, hoc est, prope ipsum diluculum; quae circumstantiae ex s. Scriptura (7) colligi possunt. Iam vero

sententiam istam (quod israelitae per semicirculum ad idem littus reversi sint) ex mera ignorantia linguae hebraicae ortum habere. Cum enim hebraei tam ante quam post transitum maris rubri metati sint in *Etham*, Num. 35, v. 6 et 8, putarunt multi, eos ex mari non in Arabiam, sed ad partem superiorem Aegypti reductos esse. Nesciebant ergo, vocem *Etham* non significare locum particularem, sed universe *desertam regionem, penitusque reclusam magnam vallem*.

(7) Exod. c. 14, v. 21, 22, 25 et 24.